

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua  
Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin  
Schroeder, Johann  
Vitembergae, 1719**

**VD18 11653507**

§. XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

§. XI. Quando nimirum in baptismo lavatur Infans tenellus & aqua per verbum institutionis ac promissionis sanctificata, & elemento coelesti unita, adspargitur, vel mergitur, absque omni dubio actu regeneratur, id quod Ecclesia nostra adversus integram cohortem adversariorum dudum evicit, ac probavit. Regeneratio vero illa, uti *illuminationem* aliquam habet antecedentem, quod itidem omni dubio caret; ita quoque aliquam infert *contritionem* & *tristitiam de peccato* antecedentem, quamvis hæc operatio perinde, ut aliæ, sensum oculorum nostrorum fugiat. Nam uti *contritionem natura priorem fide* esse THVMIVS loco allato & DANHAWER. *Hodof. p. 1273.* probant, resque ipsa docet, ita, quare Spiritus S. ordine inverso in Infantibus agat, non apparet, cum par ubique sit potentia & gratia, qua hæc efficere potest, perinde ut effectus fidem & tempore & natura insequentem, omnemque captum superantes producere solet. Sapienter & graviter laudatus LYSERVUS: *Quoad Infantes itidem baptismus est lavacrum renovationis, siquidem per Spiritus S. operationem regnum diaboli in illis destruitur & dominium carnis aufertur per operationem Spiritus S.* CONTRITIONI ADULTORVM CORRESPONDENTEM: quod sane non immediate fit, sed per baptismum, ut Spiritus S. medium, immediate enim Spiritus S. non agit, ubi media adesse possunt. Per idem medium etiam Lux intellectus ad Christi agnitionem, cujus exemplum in Jobanne conspicuum & fiducia voluntati ad apprehensionem Christi, sicque fidei illa conditio *ληπτικὴ* simul a Spiritus S. donatur, qua Christum recipere & sic per imputationem meriti ipsius justificari, atque ita Spiritus S. templa & viva Christi membra esse queant, fide eorum non quidem per actus externos hominibus, sed per motus internos Deo sese probantes & coram eo exerente. p. 1276. Quæ verba magni fati ponderis quæstionem nostram

mire illustrant, & qua ratione etiam contritionem aliquam baptismus producat, satis docent.

§. XII. Quando igitur infans per lavacrum sanctissimum regeneratur, justificatus & renovatus ac sanctificatus est, eo minus dubii reliquum est, adesse *contritionem*, adeoque *poenitentiam totalem* secundum suum formale consideratam. Uti enim post baptismum *Infantem actualiter peccare* non dubitamus, neque Socinianorum pestilens error vel tantillum veri habet, quo Infantes neque peccare neque proprie poenae subjectum esse fingunt. Ut CRELLIUS de *libertate Dei*. Tom. IV. Opp. p. 62. SCHLICHTINGIUS in *Comment. ad c. V. Roman.* p. 203. Ita poenitentia ad fruitionem justificationis novae opus esse nemo facile ambigat, quam Spiritus S. una cum aliis sanctis motibus ex fide nascentibus producit. Hoc antea allatus LYSERUS verbis satis dilucidis docet: *In renatis ut justificatis infantibus praeter actum illum internum ex & in fide donatum Christi justitiam modo nobis inexplicabili apprehendentem & effectus modo dictos producentem, procul dubio etiam excitantur motus interni justificationem consequentes, & ad sanctificationem spectantes, ut Deum diligant ceu Patrem, quamvis per sensibiles motus extrinsecos id non exerant, nec quicquam de illo (pertinet enim ad actum reflexum) nisi prius informati fuerint, sciant aut referre queant.* p. 1445.

§. XIII. Prædicatum igitur *verbum* in ecclesia DEI tum legis tum Evangelii etiam *ad infantes baptizatos & regeneratos pertinere*, dubitari non debet. Nam si ne quidem regeneratio ipsa sine verbo fit, cum elemento aquae nimirum conjuncta, imo in certis casibus solo verbo ante vel extra baptismum, quod exemplo Johannis patet, quem *falisse in utero non sine precedente verbo proficitur* LUTHERUS noster in *Artic. Smalcald. VIII.* p. 333. certum omnino est, post baptismum peractum infantes per illum rege-